



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Exempla, Divinæ Iræ, Per Opera Poenitentiae, Nobis Leniendæ**

**Stengel, Georg**

**Ingolstadij, 1648**

§.8. Quàm iustè à Deo his sua calamitas fuerit permissa?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-52193](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-52193)

captus ærumnam suam lugeret, Deum suorum scelerum vindicem adesse confessus, sine pœnitentia homo omnium sceleratissimus, ac Deo hominibusq; inuisus, annos LXV natus decessit. Atque hoc pacto in illo & fratre eius Alberico, filijsq; eius miserrimè deartuatis extincta est tota familia à Romano.

His intellectis, quid jam iudicatis, Auditores? an his fratribus iniuria facta est? An non hi tyranni hæc, & maiora meruerunt supplicia? An non ipsi quodammodo Deum docuerunt puniendi seueritatem? Si enim homines tam grauitè sæuiunt in se inuicem; & quidem in innocentes, an non & supremus ille iudex in tam nocentes debet irasci? Quod ipse commonuit dicens: *In quo iudicio iudicaueritis, iudicabimini: & in qua mensura mensi fueritis, remetietur vobis.* Neque turbare quemquam debet, quòd filij sex Alberici, itemq; vxor & filia duæ, quæ innocentes videbantur, vnà cum facinoroso patre, tam immiti exemplo permissæ sint cruciari & contrucidari. Nam in primis etiam victores in ea cæde atq; vindicta excedere, & grauitè peccare potuerunt; neq; tenetur Deus peccata hominum, contra communem cursum naturæ, impedire

VIII  
 QVAM IV-  
 STE A DEO  
 HIS SVA  
 CALAMI-  
 TAS FVE-  
 RIT PER-  
 MISSA?

Matth. 7.

2.

21

dire, ne iisdem adimat agendi, hoc est, pœnas aut præmia promerendi libertatem. Sufficit si unicuique dat gratiam sufficientem, qua, si velit, possit pœnas æternas vitare, atque præmia promereri. Deinde quis scit, an fuerint innocentes? quàm enim difficile est vxorem marito, & filios parenti non consentire, aut facta illius non approbare, potentiam non optare, & quocumque tandem modo promouere? Et esto aliqui (ut sæpe fit) fuerint innocentes ac talibus malis per se non digni, tamen sine iniuria à Numine illata, propter coniunctionem vitæ & habitationis, communi malo inuolue-

Leonard.  
Lect. lib.  
13 de per-  
fectionib.  
diu c. 11.

bantur. Sicut enim in corpore naturali membrum quodlibet est particeps commodorum & incommodorum ipsius corporis; ita in corpore politico quodlibet membrum, etiamsi causam cum alijs non dedederit, communis prosperitatis & calamitatis est confors. Neq; aliter iuxta ordinariam rerum legem fieri potest ob commorationem iustorum cum iniquis, quibus sunt permixti, & in quorum medio degunt. Itaq; respectu talium, illa afflictio non tam est pœna, qua eorum peccata vindicantur, quàm exercitatio virtutis & patientiæ ad maiorem gloriam.

IX

Nemo tamen facile in animum inducat, se  
talem